

www.e-rara.ch

**Ioannis Cantacuzeni Constantinopolitani regis contra Mahometicam
fidem Christiana & orthodoxa assertio**

Johannes

Basileae, [1543]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-95426>

[Epistola nuncupatoria]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

OPTIMO ATQVE DOCTISSIMO

VIRO D. GILBERTO COGNATO NOZERENO,

amico suo longe charissimo, Ioannes Opo-

rinus S. D.



ERTO equidem Dei consilio ac singulari
providentia fieri puto, Gilberte Cognate
charissime, quum nostro hoc seculo ad extre-
mum ferè successum immanis illa Saraceni-
cæ impietatis, ac non tam in corpora quàm
etiam animas quamplurimorum sæuiens ty-
rannis indies magis atque magis procedat,
nostris uidelicet peccatis & hæc ipsa, & longe grauiora etiam com-
merentibus, pios tamen ac sanctos aliquot uiros subinde ut excitet
Clementissimus Pater, qui pro ea qua instructi ab ipso sunt uirtute,
isti tanto iam tempore clandestinis Sathanæ insidijs grassanti
malo, partim in lucem ueritatis protrahendo, partim diuini uerbi
armis impugnando opprimendoq; omnem operam (quod dici so-
let) atque oleum sedulo impendant. Quorum quum alij alia ueluti
subsidia certatim curent, non minimum certe opis attulisse uideri
merito debent, qui quæcunq; & ab alijs doctis bonisq; uiris in hoc
genere hucusque elaborata sunt, bona fide etiam proferre in pu-
blicum non grauantur: magnamq; adeò illos gratiam ob tam pium
officium mereri, nemo bonus uir ac CHRISTI gloriæ amans,
facile negauerit. Neque hic me mouet, quod priuatis quidam affe-
ctionibus (ne quid asperius dicam) laborantes, aliter statuunt:
quorum si qui pia quadam simplicitate, rebus alioqui plus nimio ad
interitum inclinantibus, ne grauioris aliquid mali obrepat, metuunt,
ignoscendum illis quidem, ac orandum pro ipsis numen censeo, ne
(quantum in eis est) præclaro aliorum conatui obsistere, aut ma-
le ominari potius, quàm adesse, aut saltem bene precari malint. Ve-
rissimum profecto esse illud Comici dictum, Quot capita, tot senten-
tiæ: cum alijs in rebus, tum ijs præcipue quæ ad Religionis nego-
tium attinent, obseruare hodie licet. Atq; utinam non cum summo
animarum quoq; periculo, id experiri sæpenumero contingat. Ve-

rum quando ita etiam ipsi omnium autori Deo, cuius gloriæ potissimum id interest, quorundam *ἑλεντίας* ad certum tempus tolerare placet: feramus & nos æquo animo, quicquid quacumq; de re alij statuunt: & fateri tamen, nos gratiam ac laudem non parvam debere ijs minime pudeat, quicumq; gloriæ CHRISTI salutisq; hominum promouendæ studio, exponere se non solum risui multorum atq; contemptui, sed etiam rerum suarum, ac (si ita Domino uisum fuerit) uitæ quoq; periculo non dubitent: nosq; pro uirili nostrâ parte quicquid in nobis est facultatum, eò conferamus sedulo, ne ipsi saltem defuisse etiam officio nostro uideamur. Itaq; cum & nobis non ita pridem oblata essent ab amico quodam nostro Orationes aliquot IOANNIS CANTACVZENI, Imperatoris Cōstantinopolitani, quas ille aduersus Mahometicam sectam iam olim, hoc est sub Annum salutis M C C C L X, græcè, magna quidem eruditione ac ingenti pietatis zelo conscripisset, dignissimas ego illas statim iudicaui, quæ non diutius ita uelut in tenebris ac situ delitescerent, uerum in bonorum ac pietatis Christianæ studiosorum gratiam atq; usum, detestandæ uerò illius hæreseos propugnatorum admonitionem, uel (si ita omnino uellent) confusionem atq; exitium publicarentur. Neque tamen contentus ea solùm qua scriptæ primùm ab ipso autore essent lingua, proferre illas, sed uti in latinam quoq; conuersæ à pluribus cognosci possent, operæ precium duxi. Missis igitur ijs primùm ad THEODORVM BIBLIANDRVM Sacræ Theologiæ in Academia Tigurina professorem longè doctissimum, amicum nostrum singularem, ac ueluti alterum ipsum, quippe quem eodem errores Mahometanæ superstitionis impugnandi Sacræ Scripturæ machinisteri studio iam dudum intellexissem, cuiq; multo gratissimam fore illarum inspectionem minime dubitarem: inde uero eiusdem etiam consilio oblata RODOLPHO GVALTHERO Tigurinæ ecclesiæ fidelissimo euangelistæ easdem Latio donandi prouincia: facile id quidem uterque ab eo, nempe communi amico, & promouendis huiusmodi Ecclesiæ CHRISTI meliorumq; studiorum emolumentis nunquam non paratissimo, uti quamprimum fieret impetrauimus. Et sanè, si quid iudicando possum, uix aliud scripti genus hoc rerum Christianarum ac Turcicarum statu proferri in lucem potuit, siue ad detegendas quo caueri melius ualeant, seu oppugnandas

das etiam atq; euertendas impiæ sectæ illius imposturas, uel utilius, uel cognitu magis necessarium. Nam ut in recensendis Mahometi erroribus mire diligens est hic autor, ita in confutandis iisdem, adductis non solum rationibus, quæ aliquid efficere apud quosdam Vixuēs, ac solæ forsā plurimum possent, sed Sacræ Scripturæ oraculis (quibus diuinam auctoritatem ipsi etiam Mahometi sectatores Musulmani non derogant, ut scilicet suo ipsorum ueluti gladio eos iugulet) tanquam efficacissimis antidotis, ita se uenenis illis opponit, ita firmat omnia, ut an quicquam desiderari hic amplius à quocumque tum quidem potuerit, haud facile queas pronunciare. Vt interim rerum seriem, qua hic ad tantam molem paulatim à tam paruis inijs excreuisse lues isthæc traditur, præteream: quam uel ideo dignissimam obseruatu existimo, quod luculentissimum ac in primis memorabile exemplum iusti iudicij Dei proponit ob oculos, quo uerbi ipsius neglectum contemptumq; ac impietatem reliquam densissima cæcitate puniri, animaduertere liceat. Verum de his quoq; alio loco & tempore fortasse commodius. Harum ergo rerum, quemadmodum & omnium aliarum bonarum artium atq; disciplinarum, in primisq; tam ueteris quàm nouæ historiæ, ac sacræ quoq; philosophiæ studio cum flagrare te iamdudum hætenus cognouissem, neq; id solum ex ueteri consuetudine, quæ mihi tecum olim adhuc apud ter Maximum illum DES. ERASMV M ROTERODAMVM agentē intercessit, sed & crebris interim ad me literis, ac postremò tandem iucundissimo illo congressu tuo, quo nuper Basileam ueteres amicos inuisendi gratia ueniēs, doctissima simul ac planè amica oratione tua quamlibet indigno alioqui atq; importuno casu quodam conturbatum ita recreasti, atq; erexisti rursus, ut non queam non admodum iucundè etiamnum affici, quoties suauissimi illius colloquij tui adhuc mihi uenit in mentem. Itaq; occasionem nunc iam nactus uicissim & gratificandi tibi, et declarandi erga te animi mei, eamq; talem, qua simul etiam de Christianæ religionis nostræ (nimis quàm miserabiliter hodie afflictæ, atq; apud maximam orbis partem profligatæ) et instaurandæ rursus, & quoad eius fieri potest conseruandæ studiosis nō male mererer, nempe doctissimi atq; sanctissimi huius scripti promulgationē, sub tui nominis auspicio ita fieri eam uolui: quam etiam ut salutarem cōpluribus pio ipsam animo suscepturis fore persuasissimū habeo, ita

beo, ita & abunde animum tibi meum ceu arrabone quodam oblato
 declaraturam, ac simul gratissimam quoque futuram cōfido. Ceterum
 nolo commemorare hic pluribus, quanta fide ac religione in excuden-
 do hoc opere simus usi: id saltem fateri tamen minime nos pigeat, cum
 unicum tantum exemplar, quod descriptioni subseruiret, essemus na-
 cti (in quo & lacunæ alicubi quædam apparebant, sed pauciores ta-
 men illæ, & quarum defectus uel ex latina uersione abunde uideretur
 sarciri) maluisse ita prorsus per omnia quale id cunctis erat ex-
 primere, quàm uel iota usquam addere, aut immutare quicquam.
 Qua quidem religione in edendis ueterum monimentis, utinam &
 alij quidam (quos nouimus) uti, quàm temere quod somniantibus
 sæpe uisum fuerit, cum quid parum adeo statim est obuium, substi-
 tuere mallent. minus equidem corrupta pleraque in publicum prodirent,
 quæ ita à sciolis istis plerunque deprauantur, ut ipsi illorum
 autores, si eis redire ad superos liceret, haud raro se ipsos etiam in
 relictis à se posteritati lucubrationibus suis nosse uix possent. Au-
 daciam profecto execrandam, ac publicis legibus uel in primis
 coercendam, quam cum hactenus cane peius & angue semper o-
 derimus, ita nobis cauendam sedulo existimamus, ut nihil magis:
 eo pacto uel maxime Officinæ typographicæ nuper à nobis insti-
 tutæ diligentiam ac fidem studiosis bonarum literarum atque artium
 commendaturi. Proinde, ut etiam hoc testatum hic relinquamus, u-
 nico solum isto incommodo (quanquam leuiore tamen illo, quàm
 ut eo nomine appellari conueniat) laborauimus in excudenda ho-
 rum parte maxima, quod non licuit domi nostræ (quod alijs qui-
 busdam grandioris operæ interea occuparentur præla nostra) to-
 tum id quicquid erat curare, sed aliorum & opera & characte-
 re uti oportuit: in quibus tamen & ipsis ita aduigilatum spera-
 mus, ut nihil neque hac etiam in parte magnopere desiderari à quo-
 quam æquioris saltem animi lectore aut posse, aut debere, planè
 confidam. Quæ uero hoc loco de autore ipso, & scripti huius ar-
 gumento ac ratione dici possent, libenter etiam prætereo, quòd ma-
 lim ea partim ex altera Præfatione Latinæ uersioni præmissa, par-
 tim diligenti & accurata ipsius libri lectione cognosci, quàm pro-
 lixiore hic narratione ab altera illa multo utiliore ac digniore co-
 gnitu impedire, aut detinere longius. Vale, optime atque doctis-
 sime

sine COGNATE : ac simul operam quoque à nobis in Antoinij Garronis tui Lucubrationem, in Pomponij legem II de Origine iuris præstitam, quem una ad te multo quam antea fuerat nitidiorē cultioremq; mittimus, adiecto etiam elegantissimo comite Francisci Balduini Attrebatij Iurisconsulti in Rusticas Iustini leges Commentario, æqui boniq; facito: & propediem alia quoque nostris typis à te commissæ, quo serius absoluantur, eo melius exculta (sat enim cito, si sat bene) ad te reditura, persuasissimum habeto, Basileæ, Idib. Februarij. Anno Salutis

M. D. XLIII.

LECTORI TYPOGRAPHVS.

Tametsi in toto hoc Opere exprimendo aduigilatum sedulò à nobis sit, ne quid usquam à manuscripto exēplari discederetur, tamen in ipsa statim libri Inscriptione, pro eo quod erat *λυγδῖ ἰωάννου τοῦ λαντανέζου*, nescio quo pacto *lucis* positum est: idq; recte ne an secus, alijs expendendum permitimus. nam ut de Cyri nomine, an recte Cantacuzeno ascribatur, non satis perspectū adhuc nobis est, quòd à nullo eorum qui huius in historijs meminerunt, sic appelletur: ita an pro eo confestim *lucis* nomen debuerit substitui, non possumus pronunciare: atq; ideo eiusce hic uelut in limine admonere, operæ precium duximus. quemadmodum &, quòd in aliquot paginis, satis manifesto tamen errore, *πίνυα* pro *πίνυα*, in eadem Inscriptione, operarum nimirum incuria irreplisse uidetur. id quod ipsum etiam hoc loco indicasse, minime absurdum existimamus.